

Digitaliseret af | Digitised by



**DET KGL.
BIBLIOTEK**

Royal Danish Library

Forfatter(e) | Author(s): Lange, Frederik Olaus.; respondente Joh. Chr. Rask ; publico ... submittit Fredericus Lange.
Titel | Title: De casuum universis causis et rationibus commentatio grammatica
Udgivet år og sted | Publication time and place: Hauniæ : ex officina Poppiana, 1836
Fysiske størrelse | Physical extent: 94 s.

DK

Materialet er fri af ophavsret. Du kan kopiere, ændre, distribuere eller fremføre værket, også til kommercielle formål, uden at bede om tilladelse. Husk altid at kreditere ophavsmanden.

UK

The work is free of copyright. You can copy, change, distribute or present the work, even for commercial purposes, without asking for permission. Always remember to credit the author.





Lange
de casuum
universis causis
1836



47. - 5.



DET KONGELIGE BIBLIOTEK



130020340259



De Casuum Universis Causis et Rationibus

COMMENTATIO GRAMMATICA,

Quam Ad Summos In Philosophia Honores Inter
Publica Solennia Ecclesiæ Ante Trecentos Annos
In Patria Reformatæ Rite Obtinendos

RESPONDENTE

S. S. Ministerii Candidato **Joh. Chr. Rask,**

Publico Eruditorum Examine Submittit

Fredericus Lange,

In Schola Orthungensi Collega Primarius.

d. 25. Octobr. H. L. Q. S.

HAUNIÆ 1836.

Ex officina Poppiana.

Hanc dissertationem, quam auctor ab ordine philosophorum in academia Hauniensi invitatus conscripsit, ordo dignam censet, quæ ad summos in philosophia honores ei conciliandos publicæ disputationi subiiciatur.

Hauniæ, d. 1. Octobris 1836.

J. W. Hornemann,
h. a. decan. fac. philos.



Præfatio.

Si ullum unquam tempus grammaticis quæstionibus fuit opportunum, hoc certe tempus est, in quo maior et ambitus huic studio et dignitas accessisse videtur. Nam quam diu fuit tota fere ars grammaticorum intra angustos paucarum linguarum fines coarctata, fieri non potuit, quin grammatici illarum linguarum analogia irretiti, si quid in alia qualibet lingua invenissent, quod ab ista analogia resilire videretur, id aut totum reiicerent, aut vexatum multifariam atque contortum miris modis istarum linguarum legibus servire cogerent. Itaque factum est non fraude aliqua, neque perversitate grammaticorum, sed ipsa natura rerum atque necessitate, ut unam quandam quasi artem grammatices nacti simus, non eam quidem univer-

salem atque philosophicam, ut aiunt, denique eiusmodi, quæ una omnes complectatur atque sustineat, sed eam, quam casus quidam attulisset, retineret atque confirmaret usus. Sed posteaquam ampliora spatia grammaticis studiis patere coeperunt, et intellectum est, inter eas linguas, quæ antea dum ignotæ incultæque iacerent, quasi muro quodam ab istis linguarum principibus, græcam dico atque latinam, seiunctæ esse videntur, esse quæ artissimis vinculis cum istis linguis continerentur, quæque ut eas ætate interdum superarent, ita, etsi non arte, at naturæ tamen dotibus haud multo inferiores essent; totius artis grammaticæ alia coepit esse forma. Debetur hoc nostris imprimis temporibus, aut, si nefas est diffiteri, maiores quoque nostros in congerenda atque adornanda materia sedulam navasse operam, hæc certe huius ævi laus est, ut congestis undique atque coacervatis et prudentius et deliberatius et cautius utatur. Est autem natura ita comparatum, ut quo quæque res per plures formarum species innotuerit, eo et facilius et accuratius, quæ sit vis eius cognosci pos-

sit. Itaque quod ante nostrum tempus paucissimis tentare libuit, nemini licuit perficere, ut plenam atque perfectam artem grammaticam haberemus, id nostro demum ævo non perficere, sed inchoare licebit. Quantum vero libeat etsi ex hoc intelligere potueris, cum animadverteris, quam multi in hoc studium operam conferre voluerint, tamen multo magis etiam ex eo, cum perspexeris, quantus sit hominum ardor atque studium pervenendi eo, quo spe conatuque ferantur.

Cum autem quæstionum grammaticarum duo sint genera, ut aut de *causis verborum formarumque rationibus* quærat, quod genus totum logicum est sive philosophicum, aut de *materia sonisque verborum, deque immutationibus iis*, quibus per decursus temporum obnoxii fuerint, quod genus totum est historicum, neque tamen non argutissime tractandum est; et cum utrumque genus et multa et non spernenda hominum ingenia allegerint, haud scio an hocce genus, quod in historica verborum tractatione versetur, aliquanto plus profecisse censendum sit. Nam et ille noster Erasmus

Raskius, quem præmatura atque acerba morte nobis ereptum lugemus omnes, quotquot et litterarum incrementa et ingenii humani incredibiles pæne motus veneramur atque suspicimus, et inter Germanos doctissimi atque clarissimi viri Jacobus Grimmius et Franciscus Boppius, aliique complures, cum non una aliqua in lingua separatim elaborarint, sed totas linguarum quasi familias gentesque mente atque contentione comprehenderint, illud iam perfecisse videntur, ut non solum quid quærendum sit, sed etiam quomodo, nemo horum rerum paulo peritior dubitare possit; et, si quis operam suam atque diligentiam in hoc studio voluerit collocare, is totius rei quasi formam figuramque illorum opere descriptam inveniat. *)

Alteri autem grammaticarum quæstionum generi, quod priori loco posui, ista tanta felicitas haud contigisse videtur, in

*) Quamquam hoc in genere quantopere errare liceat, si quis istorum virorum mentes atque consilia aut non perceperit, aut neglexerit, movent etiam nunc multorum sæpe halucinationes,

quo cum multi elaborare voluerint, nemo exstitit, cuius ductu atque auspiciis tuto incedi possit. Nam et Jacobus ille Harrisius, qui patrum memoria princeps genus hoc ornavit et A. F. Bernhardius, qui nostris temporibus hæc studia primus inter Germanos celebravit, et Guilielmus a Humboldt, et Fred. et Aug. G. Schlegelii et Ferd. Beckerus et Carolus Hoffmeisterus et J. Herlingius, aliique complures, quorum recentes laudes nullo præconio egere videntur, multa et docuerunt et disputaverunt et monuerunt; sed eorum alios in singulis quæstionibus separatim tractandis versatos esse video, neque universum genus amplecti voluisse; alii, cum non noluerint, aut philosophorum placitis irretiti, ut iste ipse A. F. Bernhardius, aut splendidis magis quam veris ipsorum commentis servientes, ut F. Beckerus *), audendo quam per-

*) Cum et in libro "*Organisme der Sprache.*" *Francof. a. M. 1827*, et in eo, qui inscribitur: "*das Wort in seiner organischen Verwandlung*" *ib. 1833*, multa et ingeniose et præclare scripta sint, vereor, ne ingenioso viro fraudi fuerit ista

ficiendo plus sibi gloriæ pepererunt. Itaque fit, ut sospitatore[m] suum atque artificem hocce genus etiam nunc desideret atque expectet. Sed interea tamen, dum existat talis vir, qui dissipata atque disiecta possit in unum quoddam corpus colligere artemque grammaticam ita quasi emancipare sibi, ut neque serviat aliis, et sibi constet, licebit illorum virorum vestigia sequenti quærendis excutiendisque singulis totius rei universæ quæstioni viam parare.

Cæterum cum almæ academïæ nostræ illustrissimus philosophorum ordo me invitasset, ut inter solemnia gaudia reformatæ feliciter ante hos trecentos annos ecclesiæ nostræ, scriptiunculam aliquam in medium proferrem, et ad summos in philosophia honores rite adipiscendos contra doctorum hominum obiectiones defenderem *), cumque isto

organismi idea non satis explicata. Quod si magis a veritate rerum, quam a nescio qua dignitate exordiri voluisset, quod illius viri est ingenium, multo plura profecisset, quam nunc profecit.

*) Addo hæc, ut intelligant ii, qui hæcce legant, me huiusce scriptiunculæ emittendæ non occa-

rum virorum auctoritati deesse haud decere putassem, circumspiceremque, quamnam potissimum materiam mihi ad scribendum eligerem, visum est de casuum universis causis atque rationibus scribere, quæ res cum aliquanto latius patere videretur, et ad plures universæ quæstionis partes pertinere, afferret mihi opportunitatem aperiendi ea, quæ mihi de universa formarum vi atque ratione statuenda esse putarem, non ea quidem nova, neque cuiquam inaudita, sed paulo tamen aliter, quam vulgo fieri solet, tractata atque digesta. In hac autem re ita agam, ut primum de causis casuum disputem, deque ea aut necessitate aut opportunitate, qua istæ verborum formæ in lingua existant. Deinde ut eas rationes explicem, atque inter se contendam, quibus diversæ linguæ aut necessitati satisfacere, aut opportunitate uti voluisse videantur.

Ad huiusce autem rei quæstionem, quo paratiores accedamus, necesse erit paulo altius repetere et de universa formarum vi

sionem aliquam quæsisisse, sed oblata occasione non noluisse uti.

atque ratione quærere. Hoc vero si cui longum esse videtur, nihil longum videri debet, quod est necessarium. Cum autem nihil sit, quod per se, remotum a cæteris, satis intelligi possit, hanc unicum quærendi viam esse rati, ut ex communi formarum fonte hanc quoque formam derivare conemur, omissis ambagibus hac insistendum esse putamus.

De casuum universis causis atque rationibus.

§ 1.

Cum nos in mediis rebus, non corporibus solum, verum etiam animis mentibusque collocati simus, existat necesse est inter nos et res circumstantes mutuum quoddam, quo et nos impellamur a rebus, et rursus illud, quo impellimur, percipere mente atque agnoscere studeamus. Ita notiones oriuntur intelligentiæ nostræ; quas cum eloquimur, verba fiunt. Est igitur verborum quasi duplex quidam existendi modus, par-

tim in nobis, hoc est in intelligentia humana, partim in rebus. In rebus materies inest verborum, res percipienda, agnoscenda, enuntianda; ipsius autem rei perceptionis, agnitionis, enuntiationis forma in intelligentia inest.

§ 2.

Cum autem unaquæque res facultatum quarundam sit complexus, neque nos quidem uno obtutu res quasi totas percipere possimus, sed tamquam singulatim carpentes, si non plenam atque perfectam rerum notionem percipere, attamen multiplicem atque copiosam rerum imaginem colligere atque componere, materies quidem verbi, sive id, quod verbo enuntiare atque exprimere volumus, non rei totius est ambitus, sed facultas quædam.

§ 3.

Iam vero cum nulla facultas rei agnosci atque percipi possit, nisi ita, ut ad eam rem referatur, cuius facultas esse prædicetur, ut omnis notio, ita omnis plena rei alicuius enuntiatio duas partes habeat necesse est, alteram rei, fa-

cultatis alteram, enuntiationem. Sunt autem hæc duæ partes, nomen et verbum, sive subiectum et prædicatum. Quæ cum ex eadem quasi materie ficta sint facultatis, quoniam hæc sola percipi a nobis atque enuntiarî potest, utriusquæ partis omnis diversitas non ex diversitate quadam rei percipiendæ atque enuntiandæ repetenda est, sed ex ipsius intelligentiæ consilio atque necessitate, atque adeo ex ipsius plenæ enuntiationis natura.

§ 4.

Quare si hæc duo verborum genera inter se contendere volumus, in eo quidem, quod κατ' ἐξοχήν verbum appellatur, et prædicatum continet, remanet facultatis notio, in substantivo autem sive subiecto id, quod proprie nihil nisi singulam quandam rei facultatem significat, non natura sua, sed arbitrio quodam intelligentiæ humanæ quasi rem totam significare cogitur, cuius cum notio nulla sit, nullum proprium verbum esse potest. Itaque cum in verbo sive prædicato totius enuntiationis quasi vis atque vigor insit, substantivum autem sive subiectum veluti cardo sit, qui prædicatum sus-

tineat atque regat, utriusque generis verborum summa quædam est diversitas, ut prædicatum mobile quoddam habeat, atque, ut ita dicam, profluens, substantivum autem quasi stabile quoddam atque præcisum. Cum autem mobilitatis schema tempus sit, stabilitatis spatium, natura sua verbum temporis veluti fundamentis superstructum esse videtur, spatii substantivum.

§ 5.

Habemus autem hic primum substantivorum casum, subiecti formam sive nominativum. Qua de forma cum iam olim dubitatum sit, utrum casus appellanda esset necne*); de nomine quidem nulla nobis hoc loco erit disputatio, cum res eadem maneat; quamquam mihi satis probabilis videtur ratio Stoicorum, qui cum cæteros substantivorum casus ita appellari vellent, quod a nominativo, tamquam recta quadam linea, caderent, tamen hunc quoque, qui et ipse

*) Priscianus, institut. gram. libr. V c. 9 sect. 46, cfr. Harrisium Hermes p. 222 vers. germ.

aut ex intelligentia humana, aut a prima illa et generali forma, quæ verbi radice continetur, quasi cadat, casum dici putant. Cum autem nominativum subiecti casum esse monuerimus, in qua re tota eius insit vis atque natura, de usu eius plura dicere ad hunc locum non pertinere arbitror. De usu quodam nominativi attributivo, et de partitione quadam eiusdem casus in lingua Vascorum, cum ista partitio non ex ipsius nominativi natura, sed alia ex causa profiscatur, infra suis locis videbimus.

§ 6.

Interiacent autem inter hæc duo plenæ enuntiationis membra alia quædam verborum genera, quæ, etiamsi eadem necessitate, qua illa, ex ipsa enuntiationis natura deduci non possunt, recte tamen et ordine fiunt, dum ex illo altero mobili atque quasi profluenti verborum genere alterum stabile atque præcisum formare conatur ratio humana. Etenim, quamquam istorum verborum neutrum neutri tempore antecedere dici potest, si ipsam eorum ideam respicimus, quoniam

utrumque eadem necessitate gignitur, neque sine utroque ullus omnino sermo esse potest, tamen, si non idea, sed ipsum tempus gignendi respicitur, quoniam facultatis notio prior est, quam notio totius rei, prædicatum prius est subiecto, substantivo verbum. Itaque cum ex eadem materia utrumque fiat, substantivum ex verbo fieri dici potest. Quod cum fieri non possit, nisi ita ut mobile illud atque fluxum tamquam ex flumine temporis ereptum cohibeatur et quasi præcidatur, hoc autem non uno quodam actu, sed non nisi per gradus quosdam perfici queat, existunt mediæ quædam inter substantivum atque verbum verborum formationes, quæ cum omnes uno quodam tenore ad illam substantivi perfectionem pervenire conentur, ita inter se diversæ sunt, ut ad communem metam alia alia propius accessisse videatur. Sunt autem hæ formationes, participia, adiectiva, infinitivi, et, quæ multo tamen rarius occurrunt supina atque gerundia.

§ 7.

Atque horum quidem proxime adiacent verbo participia, in quibus illa facultatis no-

tio e flumine temporis eripi coepta est, nondum tamen erepta; quæ quasi in confiniis verbi atque substantivi collocata, tenore quidem suo atque conamine in substantivum feruntur, sed retinent tamen etiam nunc verbi naturam, verum tamen ita perturbatam, ut pro prædicato esse non possint. Itaque cum nec verba sint nec substantiva, neque semet ipsa per se tueri possunt, nec nisi inita cum substantivo coniunctione non prædicativa sed attributiva sustentari. De huius autem coniunctionis genere mox videbimus.

§ 8.

Sequuntur hocce verborum genus adiectiva, substantivis proxima, in quibus facultatis notis tempori plane erepta est. Verum tamen cum in fadiectivis ipsa acultatis notio etiam nunc retineatur, nec in totius rei significationem abierit, neque necessaria pars sunt enuntiationis, neque nisi substantivo attributa eiusque vi atque natura sustentata, locum ullum in enuntiatione habere possunt. Sunt autem, ut diximus, substantivis

proxima, atque ita quidem, ut nullum novum verborum genus inter ea intercedere atque fingi possit.

§ 9.

Itaque cum neque inter substantivum atque adiectivum medium quidquam intersit, neque inter adiectivum atque participium, denique neque inter participium atque verbum medium quidquam aut inveniri aut fingi possit, cætera verborum genera, quæ inter substantivum et verbum interiacent, extra istam seriem collocata, nihil habent cum iis communionis, et suos quasdam efficiunt verborum atque substantivorum transitiones, infinitivos dico, supina atque gerundia; quorum istas quidem, cum singularis naturæ sint, atque in omnibus fere linguis occurrant, paucis describere conabor, hæc autem, quæ posteriori loco nominavi, cum nescio an nusquam nisi in latina lingua deprehendantur, et cum eiusmodi sint, ut ad universæ rei quæstionem nihil conferre videantur, hoc loco præterire malo. Sunt autem infinitivi substantiva, sed eius-

modi tamen, qui verborum naturam quodammodo retineant. Cum enim in verbo facultatis notio fluat atque moveatur, quoties autem enuntietur, toties veluti incisione facta motus ille inhibeatur atque retineatur, unde eæ verborum formæ oriuntur, quæ tempora appellantur, quasi incisa quædam temporis, vel moræ quædam mobilitatis; in infinitivis hæ ipsæ temporis moræ substantiva factæ sunt, totidemque adeo infinitivi sunt, quot tempora sunt verbi. Sed de his cæterisque verborum generibus non necessariis hoc loco satis erit monuisse, quomodo fiant; quid autem sit, cur ea sermo retineat, quamvis non sua necessitate fiant, paulo post videbimus. De adverbiiis autem et præpositionibus et coniunctionibus, quæ non nova sunt verborum genera, sed veterum generum novi quidam adhibendi modi; denique de interiectionibus, quæ cum non perceptiones mentis, sed animi affectus designent, si verba appellandæ sunt, a cæteris verborum generibus longissime recedunt, tacere malo, quam ea dicere, quæ ad rem nostram minus pertinere videantur. Nunc ad ista enuntiationis quasi capita revertamur.

§ 10.

Cum enim in omni sermone nullum verbum sit, quin ad horum generum aliquod referatur, de mediis quidem istis verborum generibus hoc loco recte me tacere arbitror, quoniam in iis exornandis nihil fere sequi videtur sermo, nisi quod sit antea in substantivis atque in verbis expressum. Quare cum hoc propositum sit intelligentiæ humanæ, ut ex sonis istis verborum, quos quasi materiam quandam natura suppeditat, illa fingat atque formet, illud proximum esse videtur, ut quæramus, quonam modo in hoc opere suo perficiendo versetur intelligentia. Sunt enim ista substantivorum verborumque genera, de quibus hucusque locuti sumus, quasi schemata quædam, quæ expleri debent*), sive tenores isti, quos intelligentia in construenda adornandaque lingua sequatur necesse est; sed quomodo sive ista ex-

*) Repræsentant autem hæc schemata, omni materie vacuefacta, pronomina sive nomina abstracta, et verbum abstractum, ipsarum substantivorum verborumque idearum quasi imagines quædam.

pleat sive hos prosequatur, nunc videamus. Itaque hæc quæstio tota est de formis verborum. Nam quamquam hæc, quæ de substantivorum atque verborum generibus, atque de universa enuntiationis natura quæsimus, vel maxime pertinent ad formarum rationem, tamen magis proprie ea sola formarum nomine appellari solent, quibus ad ista verborum genera adornanda utitur intelligentia.

§ 11.

Quamquam enim totus sermo intelligentiæ quoddam opus est, nec ulla est pars eius, quin ad intelligentiam humanam pertineat, tamen in his ipsis verborum formis vis illa atque virtus intelligentiæ maxime conspicua est, suntque eæ, ut ita dicam, totius sermonis pars maxime humana; cumque re ipsa verba dividi non possint, nec verbum ullum sit, nisi formatum; tamen, si non re ipsa, at mente quidem atque cogitatione ita dissolvi possunt, ut uniuscuiusque verbi altera pars illius materiæ sit, quam nobis ad mentis nostræ consiliique utilitates

explendas suppeditaverit natura, altera ad eam referatur efficaciam, qua oblatam materiam retinere, adhibere, exornare, denique nostram facere conemur. Est autem hæc pars verbi forma, in qua omnis inest intelligentiæ conscientia sui, omnisque adeo quasi humanitas sermonis.

§ 12.

Cum autem, id quod supra monuimus, verbum nihil sit, nisi ipsa notio sonis expressa, notio autem sonis exprimi non possit, nisi ita, ut sonus, quasi imitatio sit illius rei, cuius nobis notio oboriatur, — quare ea tantummodo sonis proprie enuntiare licet, quæ externis sensibus percipi possunt; quidquid autem sola mente atque cogitatione percipitur, id non nisi improprie atque translate enuntiarî potest, — necesse est unumquodque verbum, velut medio quodam loco, inter rem percipiendam ipsumque perceptionis actum, collocatum, duas habeat quasi partes, alteram rei, quæ rem quidem ipsam exprimat, intelligentiæ alteram, quæ tota formalis sit. Cum autem hæc duæ partes re

ipsa ita implicitæ sint atque cohæreant, ut seiungi nullo modo possint, cumque universi verbi illud propositum sit, ut rei aliquius perceptionem significet; quoniam res quidem ipsas duplici ratione percipere atque retinere possumus, aut per nos, aut per res ipsas, duplex quoddam genus fit formarum, quorum cum utrumque intelligentiæ opus sit, alterum tamen ad intelligentiam ita pertinet, ut ex sola eius natura atque ratione profectum esse videatur; quod genus satis proprie subiectivum formarum genus appellare licebit; alterum eiusmodi est, ut, quamvis et ipsum intelligentia temperetur, et legibus eius pareat, magis tamen ad illam verbi partem pertineat, quæ rei ipsius significationem habeat. Quare hoc genus formarum obiectivum appellandum esse putamus. Cum autem ad utrumque genus casuum ratio atque natura pertinere videatur, de utroque paulo accuratius videamus.

§ 15.

Quod igitur res per nos percipi, retineri, formari dicimus, eius rei hæc est

vis, ut nihil possit percipere, retinere, denique formare intelligentia, nisi ita, ut primum suam ipsius naturam rei percipiendæ quasi impertiat, remque ipsam quasi in naturam suam convertat; deinde, quoniam in omni perceptione atque enuntiatione ipsa intelligentia medium quendam teneat locum, ut iis formis verba induat, quibus ad se referre, sibi que veluti annectere possit. Habebit igitur hocce subiectivarum formarum genus duas partes, alteram absolutarum formarum, relativarum alteram. Ad absolutarum autem formarum partem pertinere mihi videntur primum in substantivis*) personarum formæ; deinde in verbis modi**), qui-

*) Nam quod personarum formæ ad verba quoque penetrarunt, id non alia de causa fieri puto, quam quod prædicatum ad summam similitudinem subiecti conformari debet.

***) Cum autem plurimæ maximeque diversæ verborum formæ hoc nomine circumferantur, ego indicativos atque imperativos ad subiectivum formarum genus referendos esse puto. Cæteros autem, quocunque tandem nomine appellantur, ad obiectivum formarum genus pertinere arbitror.

bus utrisque quamquam diverso modo pro diversa substantivorum verborumque natura, id agimus, ut res percipiendas in nostram naturam veluti convertamus. Relativam vero subiectivarum formarum partem sola habent verborum tempora, quæ cum incisa quædam temporis sint, id efficiunt, ut illam in verbis quasi mobilem atque profluentem notionem ad nos relatum veluti cohibeant atque retineant. Cum autem harum formarum nullæ nisi personarum formæ ad rem nostram propius pertineant, de his videbimus; de cæteris ea monuisse satis erit, quæ ad universam rei naturam illustrandam conferre videantur.

§ 44.

Igitur cum intelligentia ipsa personalitatem quandam, ut aiunt, habeat, atque persona quædam sit, nihil potest neque percipere neque perceptum enuntiare, nisi quod in naturam suam converterit, personaque quodammodo induerit.

Ita duo continuo fiunt personarum genera, alterum percipientis atque enuntiantis,

perceptæ atque enuntiatae alterum. Quibus, cum enuntiationis ea natura sit, ut communicandis notionibus serviat, tertium accedit personarum genus, cum, difisso illo non percipientis sed perceptæ personæ genere, altera ista persona sit, ad quam conversi loquimur, altera ista, de qua loquimur. Itaque cum tria omnino sint grammaticarum personarum genera, cumque ad ea universa substantiva referri oporteat; ad primum illud personarum genus sive ad primam personam proprie pertinere videtur non nisi illud substantivum, quo ipsa persona percipiens atque enuntians indicatur, atque adeo illud ipsum "ego"; aut, si quod substantivum, huic oppositum, huius vi sustentatur, id tamdiu ad primam personam referendum erit, quamdiu huius vi sustinetur, ut in his: *hic tibi pater adsum, nominor ego leo.* Cætera substantiva secundæ atque tertiæ personæ sunt; neque ita quidem, ut alia secundæ, alia tertiæ sint personæ; sed, cum utriusque personæ ea ratio sit, ut primæ isti opponantur, quamquam diversis modis, ad utramque personam omnia pertinere necesse est. Atque illa quidem substantivo-

rum forma, qua secundæ personæ sunt, vocativus est, casus secundæ personæ. Cæteri substantivorum casus, sive plures sunt numero sive pauciores, ad tertiam personam referendi sunt.

§ 15.

Cum autem vocativum ad ipsam enuntiationis necessitatem non pertinere pateat, hæc attulisse satis erit, unde vis eius atque natura universa appareat. Sunt autem hi duo casus, de quibus hucusque locuti sumus, nominativus atque vocativus, quamquam causis suis atque naturis magnopere differunt, hac tamen re simillimi, quod iis, ex ipsius intelligentiæ necessitate profectis, nulla omnino lingua carere possit, cum cæterorum casuum usus, de quibus reliqua nostra erit disputatio, arbitrio linguarum relictus esse videatur.

§ 16.

Alterum formarum genus, quod obiectivum appellavimus, multiplex est atque

varium, cum quidquid formarum præter subiectivas illas reliquum, id totum contineat. Experiar autem huius quoque generis vim atque rationem paucis describere. Est igitur omnis rerum perceptio, omnisque adeo cogitatio subiectio quædam; quod cum in ipsa enuntiationis forma appareat, quæ omnis cogitationis quasi methodus est, tam in omni cogitandi exemplo promptum est atque paratum. Cumque nihil possimus per se, seiunctum a cæteris rebus, satis percipere, uniuscuiusque rei notio tum demum exstare poterit, cum quæ inter illam cæterasque notiones intercedat ratio, vel qua parte illa in cæteris notionibus quasi collocata sit, penitus perspexerimus. Hoc autem illud est, quod antea dixi, perceptionem rerum per res ipsas retineri.

§ 17.

Igitur cum universæ intelligentiæ id propositum sit, ut notiones suas non vagari patiatur, sed ita quasi amplectatur atque concludat arte, ut suo quamque loco retineat, hoc tantum opus non nisi per gradus

atque per partes quasdam fieri potest. Cum enim tantæ rei conscientia atque adeo suspicio ad paucissimos omnium ætatum homines pertineat, cumque vel eorum, qui paratissimi ad hanc rem accedere videantur, nemo totius rei plenam atque iustam ideam afferat, nec nisi tentandis, fingendis refingendisque iterum ac sæpius notionibus quidquam perficere possit; necesse est intelligentia, quod totum amplecti uno obtutu nequeat, id dividat atque discerpat. Ita fit, ut cum una omnium notionum ars esse debeat et ab ea perfectione homines ipsa natura sua retineantur, notionum plures artes sive genera plura existant, quæ tamen omnia cum communi quodam vinculo contineantur, ad unius eiusdem summæ atque perfectissimæ artis ambitum revolvenda sunt.

§ 18.

Similis ratio sermonis est, qui intelligentiæ tanquam expressa quædam esse debet imago. Itaque cum, ut notiones omnes aut genera esse debeant, aut partes generibus, subiectæ sive species, ita verba, aut generum, aut parti-

um generibus subiectarum significationes esse oporteat, sermo tamen intelligentiæ vestigia non nisi longe sequi potest. Cum enim in notiones plena sit intelligentiæ dominatio, ut eas, si visum fuerit, non inflectere solum atque recudere, sed etiam totas abiicere possit, verba contra, ex quo facta sunt atque emissa, sui quodammodo iuris esse coeperunt. Itaque in omnibus plurimi occurrunt loci, in quibus eæ notiones, quarum inter se relationes neminem latere possunt, verbis ita disiuncta sunt, atque distant, ut nihil omnino se invicem attingere videantur.

§ 19.

Hoc autem loco cum duo quæri possint, primum, quæ omnino possint esse et quam multa notionum genera, hanc ego quæstionem, quæ ad ipsa philosophiæ penetralia pertineat, non conabor attingere; deinde quæ et quam multa notionum genera in omni sermonis exemplo sint expressa, hoc quoque, quoniam ad singularum linguarum quæstiones pertinere videtur, neque ad universam totius rei tractationem esse referen-

dum, intactum relinquam, illud tantummodo monebo, cum generibus quærendis ut notionum ita verborum existant quasi familiæ quædam, cumque harum familiarum numerus ex ea pendeat vi atque sollertia, qua in illis colligendis atque adornandis utatur intelligentia, necesse esse et genera et familias, cum primo quoque tempore numero augeantur atque cumulentur, deinde quo magis maturitate atque subtilitate provehatur intelligentia, eo magis numero imminui, ambitu autem crescere, cum singulæ notiones, singulaque verba, — quamquam in hoc, ut ante dixi, minor vis est intelligentiæ — novis veluti curis iterum atque iterum tractata ex angustioribus relationum gyris in latiores semper campos revolutæ deducantur. Sed illud monuisse satis erit. Hoc autem huius quæstionis et huius loci est, ut quæramus, quonam universo modo in hoc formarum genere obiectivo exprimendo versetur sermo.

§ 20.

Igitur cum eorum verborum, quæ eiusdem familiæ sint, ea ratio sit, ut cum omnia ean-

dem contineant notionem, illud solum, quod agmen ducat, totiusque familiæ tamquam caput sit, ipsius notionis genus exprimat, cætera autem subiectas huic generi partes, sive species quasdam, ad ipsum quidem genus significandum nulla singulari arte uti videtur lingua, nec ullum facile generis verbum est, quin idem et ad speciem significandam adhibeatur. Itaque cum generum verba arbitrio quodam fiant, huiusce rei omnis ars reposita est in iis verbis exornandis, quibus species indicantur. Cum autem omnis species generi suo plenior sit eo, quod præter illam ipsam generis notionem contineat illud quoque, quo a genere suo differat, omniaque igitur verba, quæ species significant, duo habeant, ut et genus designent, et id quod generi accedat, cumque in ista coniunctione illud ipsum, quod accedat generi, superius sit, quoniam ita demum species fit; una via sermoni videtur esse relicta, ut alio verbo genus ipsum exprimat, alio verbo eam notionem, qua accedente species fiat.

§ 21.

Quamquam in hac re alio quoque modo intelligentiam versari videmus, non solum ita, ut, nullo discrimine facto, iisdem verbis et genera et species designet, iudiciumque ipsum iis, qui audiunt, relinquat; qua de re cum nullam prorsus habeat artem, plura dicere nihil attinet ad hunc locum; sed etiam ita, ut sonis quibusdam aut leviter inflexis, aut demtis, aut additis, eadem verba iam ad genera notionum, iam ad species exprimendas adhibeat. *) Quod cum brevitatis quandam at-

*) Utriusque rei, et illius neglectæ artis, et huius parum explicatæ exempla cum plurima sint, eo tamen confunduntur, quod non solum in iisdem linguis eadem relationum species interdum arte carent, interdum eo modo, quem diximus, exornantur, verum etiam aliæ linguæ alias relationum species exornare solent. Itaque ex istis passivis, reflexivis, inchoativis, iterativis, diminutivis, amplificativis, cæterisque formis, quæ omnes ad adiectivum formarum genus pertinent, nescio an nulla sit, quæ ad omnes linguas pertineat; et in iis ipsis linguis, in quibus inve-

que celeritatis habeat commendationem, istamque cognationis necessitatem, qua genera atque species contineantur, oculis mentibusque egregie atque luculenter subiiciat, tamen hac re inferius est, quod istius coniunctionis alteram partem, eamque ipsam partem, quæ cum efficacior sit, exstare atque eminere deberet, quoddammodo reprimat atque obscurat. *) Quare cum in omnibus linguis plurima occurrant huius rei exempla, multo tamen sæpius istæ notationum coniunctiones verborum coniunctionibus exprimi solent, atque adeo in universo sermone constanti exemplo fieri videmus, ut ab ista brevitate atque celeritate loquendi ad hanc circumspectionem accurrationemque recurratur.

niuntur, maxima earum pars non nisi ad parvum quendam verborum numerum penetrasse videtur.

*) In compositione verborum, quæ et brevitatis et explicatæ accurrationis commendationes coniungat, huiusce rei ars perfecta atque absoluta esse videtur.

§ 22.

Existit ita inter diversa ista verborum genera nova quædam coniunctio, quæ natura sua multum differt ab illa prædicativa substantivi atque verbi coniunctione, quæ enuntiationem facit, et, cum id agat, ut illud verbum, quod coniunctionis caput est, eo quod adiiciatur, accuratius describat, atque definiat, satis proprie attributiva appellatur. Sed cum illa semper una sit, hæc contra multiplex, totidemque genera habeat, quot sunt eorum verborum genera, quæ definiantur, et quibus definiantur; hæc paulo accuratius videamus.

Definiuntur autem substantiva, ut ab illis ordiamur, primum adiectivis atque participiis; deinde substantivis atque infinitivis, quæ antea substantiva esse dixi, quamvis naturæ plane singularis; sed in hoc coniunctionis usus a cæteris substantivis nihil differre videntur. De utriusque autem coniunctionis genere, quam naturam habeat atque diversitatem mox videbimus. Illud tantummodo hoc loco addendum esse puto: cum antea, quonam modo fierent

adiectiva, participia, infinitivi, viderimus, hoc loco, qui usus ea, atque quæ vis retineat ex iis, quæ iam disputavimus, satis patere.

§ 25.

Ad verbum vero definiendum sola substantiva adhiberi possunt, non adiectiva neque participia; quæ cum natura sua infirmiora sint, neque semet ipsa per se tueri possint, sed vi atque coniunctione substantivorum sustineantur, minime ipsa apta sunt, quæ mobilem illam atque fluxam verbi naturam definiant atque confirment. Itaque cum in solis substantivis ea vis atque confirmatio insit, ad verba definienda hæc sola adhibeantur necesse est.

Alia enim natura illius est coniunctionis, qua adiectiva cum verbo abstracto coniungi solent. Cum enim verbi abstracti ea natura sit, ut quasi vacuefactum, nullam contineat notionis materiam, sive argumentum nullum, non huic adiiciuntur adiectiva, sed per verbum abstractum ipsa verbi idea ita adiectivo impertitur, ut coniuncta pro

verbo esse possint. Aliud denique et illud est, quod et apud Latinos sæpe fieri videmus, et multo etiam sæpius apud Græcos, ut ad verba argumenti plena addantur adiectiva atque participia, ita ut ea definire atque terminare videantur, ut in his; *primus venit, ultimus discessit*: εἶς' ὄμενος καὶ ἀήμενος (Hom. Od. 6, 131). In quibus cum adiectiva atque participia ex nostra quidem dicendi consuetudine ad verbum pertineant, tamen satis apparet non ad verbum esse referenda, sed ad ea substantiva, quæ in verbo finito lateant, eorumque vi atque forma sustineri.

§ 24.

Denique illæ ipsæ mediæ formationes, quæ inter verbum atque substantivum interiacent, quoniam, quotiescunque ad genera revocandæ sunt, eorum notiones et psæ definitionibus indigent, cum infirmiori natura sint, quam ut alia sustinere possint, eodem modo, quo verba solis substantivis definiri atque describi possunt.

§ 25.

Patet igitur in verbis definiendis præcipuum esse substantivorum usum, adiectivorum autem atque participiorum longe parcio-rem, quippe qui ad unam solum orationis partem pertineat, neque id quidem necessario, quoniam et ad eam definiendam vicaria opera substantivi adhiberi potest. Quod si hinc adiectiva atque participia, illinc substantivorum attributivum usum contendimus, utriusque coniunctionis etsi vis eadem, tamen color quidam est plane diversus. Cum enim nulla sit substantivi definitio, quin possit æque per substantiva ac per adiectiva atque participia confici, quoniam utroque modo substantivum ita definitur, ut ipsius notio ad aliam notionem referatur; per adiectivum altera notio tamquam inhærens alteri fingitur, per substantivum autem, cum utraque pars coniunctionis magis seorsim exstet atque emineat, altera alteram magis attingere extrinsecus, quam in altera inesse videtur. Sed de hoc attributivo usu adiectivorum atque participiorum, quæ et ipsa colore quodam inter se differunt, plura

dicere hoc loco nihil attinet. Ad substantiva revertor.

§ 26.

Iam vero si hanc substantivi attributi sive attributivi cum verbis definiendis conjunctionem accuratius inspexerimus, logice quidem attributivum præstantius est, grammaticæ autem inferius, cum omnem formam suam atque existendi modalitatem ab illo petere debeat, quod tempore prius est, et modalitate certa utitur, ea scilicet, quam afferat enuntiationis necessitas. Hæc vero attributivi dependentia eiusdem plane naturæ est, sive id quod definiendum est, substantivum est, sive adiectivum atque participium, sive denique verbum. Quoniam enim neque adiectivum neque participium neque verbum sui juris sunt, — neque enim loquimur de iis locis, in quibus adiectiva atque participia pro substantivis sunt, quoniam in his ipsis adiectiva atque participia non sunt —, sed semper vi substantivi, sive expressi sive latentis, sustentur, atque formantur, si quid attributum fuerit, ex eodem

fonte necesse est formam figuramque petat, ex quo eam hæc quoque quæsiverint. Itaque in hisce: *bello fortis*, et *patiens frigoris*, et *fundit hostem*, bellum, frigus, hostis quamquam re quidem ad adiectivum, participium, verbum definiendum pertinent, forma tamen ad substantiva referuntur, et ea quidem, quæ ipse contextus verborum subintelligi docet.

§ 27.

Quare quoniam hæc coniunctio semper eadem est, scilicet substantivi cum substantivo, in horum natura totius coniunctionis natura collocata est; et cum substantivo, quod natura sua fixum est atque stabile pro fundamento quodam spatium sit, stabilitatis schema, necesse est tota hæc coniunctio eiusmodi sit, qualis solet esse earum rerum, quas in spatio aliquo modo coniunctas esse oculis cernimus; et si qua lingua propriis substantivorum formis varia huiusce coniunctionis genera exprimere voluerit, id quod in multis linguis fieri videmus, hæc quoque formæ spatio velut

superstructæ sive locales erunt. De his autem formis reliqua nostra omnis erit disputatio.

§ 28.

Cum enim in hoc attributivo substantivorum genere exprimendo diversis versentur modis linguæ, et cum aliæ ita agant, ut aut sine ulla arte substantiva attributiva iis apponant verbis, quæ definiendæ sint, ipsiusque relationis iudicium penes audientes esse patiantur, aut, qualis sit ea ratio, quæ inter attributivum atque illud verbum, quod definiendum sit, intercedat, adhibitis novis quibusdam verborum generibus, — præpositionibus atque postpositionibus, — indicare soleant; de his solummodo linguis hoc loco quærendum est, quæ in ipsis attributorum substantivorum formis inesse voluerint attributivæ relationis signa, propriosque finxerint attributorum substantivorum casus. Appellari autem solent hi casus non improprie obliqui, quoniam dependentiæ cuiusdam signa esse debent. Sed cum eos substantivorum

casus, de quibus antea quæсивimus, nominativum dico atque vocativum, eiusmodi esse viderimus, ut perspecta ea necessitate, qua quisque fieret, nihil fere ultra de natura eorum quærere opus esset; in horum casuum natura excutienda aliquanto plus erit negotii. Persequemur autem hoc sicuti cætera, quam brevissime fieri poterit.

§ 29.

Sed cum ex ipsa substantivorum natura profecti omnem eorum relationem spatio superstructam esse debere contenderimus, refellendus est error quidam, quod cum duo sint substantivorum genera, alterum eorum, quæ res eas significant, quæ externis sensibus percipi possint, alterum eorum, quibus ea exprimuntur, quæ non nisi mente atque cogitatione fingere atque delibare possimus, illud substantivorum genus natura sua locale esse contendunt, relationesque eorum item natura sua spatii fundamento superstrui; in hoc autem substantivorum genere, horumque relationibus

adornandis sermonem istius prioris generis similitudinem secutum esse volunt, eaque, quæ natura sua non essent localia, similitudine quadam abrepta in eandem quodammodo naturam abiisse dicunt*). Nam primum quidem duo ista verborum esse genera falso statuunt. Etenim cum ea sola, quæ externis sensibus percipiuntur propriis verbis significari possint, ut antea monuimus, ea vero omnia, quæ sola mente atque cogitatione finguntur, non nisi improprie exprimi queant, translatis ad eorum significationem propriis verbis; unum solum verborum genus habemus, sed. eiusmodi, quod duas contineat partes, sive regiones duas, alteram propriarum, alteram translatarum significationum, quæ se quodammodo inter se excipiant, accedantque

*) Ita præter alios E. A. Fritschius in libello: *Die obliquen Casus der griech. Spr.*; Mainz 1833 p. t. Et ipse in grammaticæ mææ græcæ editionibus duabus postremis, Havnæ 1830 et 1834, eodem modo hæc duo genera discernenda esse putavi. Quod cum in populari tractatione fieri fortasse possit, in accuratiori certe disputatione ferendum non est.

altera alteri, non tanquam aliena quædam, sed tanquam continua alteri*). Quod cum in iis verbis solum pateat, in quibus præter translata[m] significationem propria quoque remanserit; in iis verbis, quæ solam translata[m] significationem retineant, id quod in multis verbis fieri videmus, tamen vestigiis eorum, vel extra ipsius lingue limites persequendis, quæ propria fuerit significatio, sæpissime eruere licebit. Deinde quod substantivorum naturas atque relationes locales esse dicimus, huius rei hæc vis est, non ut aliqua quasi materia rerum atque verborum recipiatur, sed ut ipsius formæ natura omnia omnino substantiva sint localia, sive res externis sensibus oblatas, sive ipsas mentis nostræ cogitationes significant.

§. 30.

Quæ cum ita sint, non ego eos audierendos esse puto, qui casuum obliquorum

*) Vide de hac verborum natura in eandem sententiam egregie disputantem Hartungium. *Ueber*

partitionem ita faciunt, ut duo eorum genera esse velint, et cum alterum genus spatio superstructum esse concedant, alterius fontes causasque aliunde repetendas esse contendunt.

Solent autem imprimis objecti casum segregare, et cum eius naturam a cæteris casibus plane diversam esse confirmant, et maiori quadam necessitate cum ipsis cogitandi legibus cohærere; in cæteros casus vim phantasiæ grassari patiuntur, hunc objecti casum maiori cuidam rerum ordini adscribunt*); in quo mihi rem ipsam et formam rei confundere videntur, et cum alterum illud facile concedamus, objecti singularem quandam esse vim atque præstantiam, alterum, quod eius fontes causasque aliunde repetendas esse contendunt non concedendum esse putamus. Cum

die Casus u. s. v. der griech. und Lat. Spr. Erlang. 1834. pag. 4 seq.

*) Ita, ne plures enumerem, Harrisius Hermes vers. germ. p. 220 sqq. Beckerus *Organisme der Sprache* § 67. p. 182 sqq. Madvigius *om Ejönet i Sprogene*, p. 39.

enim in verbo prædicativo ipsa notio quasi moveatur atque profluat, ad hoc ipsum flumen notionis cohibendum atque retinendum necessarium est obiectum, notionis ipsius, quæ in verbo inest, quasi supplementum quoddam naturale, quo clauditur, et ad finem suum perducitur notionis argumentum sive verbi materia. Itaque cum ad verbum definiendum multa attributiva tanquam termini circumstare possint, inter hos terminos obiectum et ultimus est, ultra quem nullus esse possit, et maxime necessarius. Sed nos non de argumento verbi atque materia quærimus; sed de ipsa forma, qua in conformanda materia utatur sermo. Itaque cum ad hunc obiecti terminum statuendum eodem plane instrumento utatur sermo, quo ad cæteros quoque terminos constituendos uti videmus, attributivo scilicet substantivo; hoc autem, ut antea monuimus, non e verbo ipso causam modalitatis suæ petere possit, sed ex eo demum substantivo, ex quo verbum ipsum totum pendeat, cumque ita non novum nascatur relationum genus verbi et substantivi, sed illud quod solum sit et

esse possit, substantivi et substantivi, substantivum autem ad substantivum natura sua non possit referri, nisi ita, ut ipsa relatio sit localis; obiecti attributivum, quamvis præcipuum quendam locum obtineat, forma tamen, quæ aut debeat aut possit a cæteris attributivis substantivis segregari, non intelligimus.

§ 31.

Quod autem argumenti loco afferri video ab iis, qui obiecti casum a cæteris seiungendum esse putant: in plurimis linguis, si ipsa phonetica verbi elementa respexeris, hæc in obiecti casu sive accusativo et pauciora et tenuiora, quam in cæteris obliquis casibus esse soleant, ipsumque adeo accusativum a nominativo sive subiecti casu sæpe aut minima aut interdum nulla litterarum immutatione differre*); illud mihi eiusmodi esse videtur, ut nullum

*) Vide de hac re docte disputantem Madvigium: *Om Tjønnet i Sprogene. Kbhvn 1835* pag. 42 & 45, seq.

inde argumentum deduci possit ad ea infringenda, quæ universa rei ipsius questione comprobari videntur. Nam cum non modo tenuitas terminationis, sed ne defectus quidem eius, ipsius formæ defectus quidem eius, ipsius formæ defectum probare possit — quoniam in linguis ipse defectus terminationis, ceu signi alicuius, pro signo est —, illud manere videtur, absectum eum quendam habere casum, eumque natura sua haud dissimilem esse cæterorum casuum obliquorum. Ipsa autem ista terminationis in accusativo vel tenuitas vel defectus necessario mihi ex ipsius accusativi natura proficisci videtur. Cum enim cæterorum casuum terminationes ex particulis quibusdam verborum definiendis substantivis agglutinatis profectæ esse videantur*); ipsa obiecti relatio natura sua adeo simplex est atque una, ut ad eam ex-

*) Ista autem suffixa ad radices pronominales, in quibus ipsis loci quandam significationem inesse constat, fere omnia esse referenda monet Boppius: *Vergleichende Grammatik, Berlin 1833.* pag. 136 § 115.

primendam nulla opus esset postpositione, et si tamen designanda esset, levissima quæque soni immutatio ad eam rem sufficeret. Quantum autem præ cæteris casibus obiecti casus adminiculis extrinsecus petitis carere possit, eæ quoque linguæ docere videntur, quæ proprias obliquorum substantivorum formas non habent, in quibus, cum cæteræ fere relationes præpositionibus significantur, obiecti ratio præpositione non utitur. Itaque si quis cæteros casus præpositionales dici velit, hunc solum non præpositionalem, equidem non recuso, et proprie dici arbitror, dummodo ne quis ex hoc discrimine ea colligi velit, quæ contra rei ipsius naturam pugnare videantur*.

*) Ex libello Guil. Humboldtii, viri clarissimi, qui inscribitur: *Ueber die Verwandschaft der Ortsadverbien mit den Prom.* Berlin 1830 pag. 18, in Tongica lingua ita dici solere video: *tëu ofa angi giale ia*, quæ ille ita interpretatur, *werde ich lieben dorthin zu ihr* : *ich werde sie lieben*. Quod non ideo affero, quod quidquam inde argumenti peti velim ad localem accusativi naturam probandam, quoniam in istiusmodi scilicet phænomenis equidem haud magnam

§ 32.

In eandem partem etiam de genitivi natura a viris doctissimis dubitari video, quamquam dissimili modo. Cum enim eum principio localem fuisse negent, postea tamen, quasi contagione quadam localem factum esse dicunt. Cuius sententiæ priorem quidem partem post ea, quæ de accusativi casu disputavimus, intactam mihi relinquere posse videor. Sunt enim eæ dubitationis causæ eiusdem generis, atque

vim inesse puto, neque ad probandum neque ad refellendum; sed ut vel ex hocce exemplo pateat, quantus huiusce rei sensus barbaris hominibus a natura datus sit. Sed, ut a barbaris recedamus, nonne in ipsa Græcorum lingua vestigia huiusce sensus occurrunt, cum iis accusativis, quibus omnes obiectum quoddam, quamvis remotius illud quidem, indigitari affirmant, præpositiones addantur, quæ certe localem habent sensum. In re autem notissima nihil opus erit exempla afferre. — Denique cum in omnibus linguis idem ille casus, qui obiectum indicat, plurimum loci significationem habeat, nonne eo satis apparere videtur, quantus cognationis sensus ad omnium conscientiam pertineat?

atque infringi possint, pergam ad alteram huiusce quæstionis partem, quæramque, quibus modis istud commune fundamentum dividi voluerit intelligentia, seu quantum sit numerus casuum obliquorum et qualis sit uniuscuiusque natura.

§ 34.

Atque iam primum, si nobis localem coniunctionem duorum substantivorum animo fingimus, quorum alterum attributivum est, alterum eiusmodi, quod sua vi attributivum sustinere debeat; cum huius quidem forma aliunde pendeat*), neque ad hanc nostram quæstionem pertineat; eâ

*) Neque tum solum cum hoc substantivum, cuius vi attributivum sustineatur, enuntiationis subiectum est, ut in his: *pater amat filium*, sed tum quoque cum ipsum casus obliquus est, ut in his: *pater amat filium sororis*, in quibus due diversæ sunt coniunctiones, altera patris atque filii, altera filii atque sororis; huiusce substantivi, quo attributivum sustineri dicimus, formam aliunde pendere patet.


quidem relationes, quæ inter illud et hoc intercedunt, non solum materia, sed ipsa forma multifariæ sunt, atque potius innumeræ. Itaque iis linguis, quæ propriis substantivorum formis hasce relationes significare voluerant, quam non possit esse propositum, ut singulis singulas elaborent, nemo non facile viderit; neque vero, si maxime fieri posset, ulla unquam lingua id efficere vellet. Cum enim ea sit universa cogitationis ratio, ut genera rerum amplecti velit, neque in singulis sepositisque rebus consistere, necesse est hanc ipsam relationum infinitam silvam ad genera sua revocare atque referre conetur. Itaque in omnibus iis linguis, quæ casus substantivorum obliquos habent, hosce ad numerum quendam paucitatemque revocatos esse videmus, quamquam ita tamen, ut ista paucitas minime certa sit eademque omnibus, sed intra modicos fines maxime variet. Cum autem ex ipsa rei natura eo minor esse debeat numerus generum, quo maiore vi atque acumine in generibus colligendis usa sit intelligentia; et tamen necesse sit esse paucitatem quandam, ultra

quam transgredi non possis, hanc quæramus: deinde ex hoc quasi capite profecti videamus, et num ad istam summam paucitatem ulli linguæ contigerit accedere, et cæteræ linguæ, quæ maiorem quendam numerum casuum finxerint, quid secutæ esse videantur?

§ 33.

Cum igitur substantiva attributiva substantivum illud regens circumstare videantur, cumque attributorum formæ sive casus obliqui, quem quidque locum in isto coetu teneat, indicare debeant, suus autem cuique locus esse videatur; tenor tamen alius alia communione quadam colligit atque continet. Feruntur enim attributiva omnia, quamquam ex diversis locis, versus substantivum regens, ac potius huius ipsius, quippe logice subordinati, diversæ sunt ad attributiva relationes. Et cum non locus quidam universus attributorum quæretur, sed ille ipse locus, quem afferat relatio, atque adeo ipse tenor, quo substantivum regens ad attributivum referatur; omnis casus obliquus locum quidem attributivi indigitat, sed im-

plicite, atque ita, ut tenorem indicet, cuius quasi terminus locus sit. Cum autem quot loci sint totidem tenores esse necesse sit, hi quidem ex rei natura ad tria genera revocari debere videntur, ut alterum aut ab altero abeat, aut ad alterum transeat, qui quidem tenores sibi quasi ex diametro oppositi sunt. Tertio denique genere concludentur ea, quibus cum neque abire a substantivo definiendo videantur, neque ad illud transire, medius quidam inter utrumque intercedit relationis tenor, utrinque æque reductus. Erit autem hæc casuum descriptio ita fortasse planior, si oculis eam quodammodo subiecero.



§ 36.

Uti autem nulla relatio fingi animo atque cogitari potest, quin tenore suo ad aliquod horum generum referri queat, atque adeo hæc casuum paucitas consiliis intelligentiæ satisfacere videtur; ita ultra hunc trium casuum numerum provehi non posse apparet. Sunt enim illi tenores eiusmodi, ut alius sine alio esse non possit,*) collectique demum plenum systema efficiant. Itaque nullam linguam, quæ quidem huic rei operam dare voluerit, minorem casuum numerum sectari potuisse contendo, neque in grammaticorum libris minorem uspiam

*) Quare mihi istud, quod a viris doctis de diversa casuum ætate quæritur, falso quæri videtur. Fritschins vero — *Die obliquen Casus der griechischen Sprache. Mainz 1833*, pag. 4 — accusativum casum ideo antiquissimum contendit, quod omnium sensuum tangendi sensus — *der Tastsinn* — sit tempore primus. Quod, cum forsitan mireris, unde vir doctus resciverit; deinde illud quoque mirari licebit, etiam si istud verum esset, qui tandem ex hoc elici posse putet, quod efficere velit.

numerum afferri video*). Illud enim longe aliud esse patet, neque sententiæ nostræ repugnat, quod in quibusdam linguis, perturbato veteri rerum ordine, reliquiæ quædam solæ superstites permanserint, ut in ipsa nostra lingua, in qua, cum olim plenum quoddam casuum systema fuerit,**) ex tanto naufragio solus fere genitivus casus, atque is quidem multilatus, relictus est.

*) Nisi quod Beckerus, *Organisme d. Spr.*, p. 191. § 50, unius galicæ linguæ duos tantummodo casus enumerat. Qui quos auctores secutus sit, cum ipse neminem laudet, nescio; in iis autem libris, qui mihi soli ad manus fuerunt, de hac re alia video a doctissimis viris tradi. Nam et in Mithridate vol. 2, pag. 83, Vaterus sex istos Latinorum casus in lingua galica se reperisse fatetur; et Ahlvardtius in grammatica galica libro Vateri, qui inscribitur: *Vergleichungstafeln u. s. w. Halle 1822* inferta, inter casus obliquos præter genitivum et dativum enumerat quoque accusativi casum, quamquam forma quidem a nominativo non diversum v. p. p. 237, 314, 315.

***) Petersen, *Det danske Sprogs Historie, Kbhvn 1829*, I. p. § 64—74.

§ 57.

Cum autem isti tenoris locique communioni, quæ casuum naturam efficit, sive istis tenorum locorumque generibus necesse sit multas esse subiectas tenorum locorumque species, ipsa specie differentes, ut v. c. aliud auferri ab alio, aliud deferri, aliud efferri, videatur; ad has quidem species atque diversitates indicandas sermo non propriis quibusdam casibus, sed aliis verbis adscitis atque in usum suum accommodatis uti solet*). Sunt autem hæc verba præpositiones, (postpositiones), quæ cum principio ad vulgus substantivorum atque adiectivorum pertinuisse videantur, deinde grammaticis utilitatibus ita servire coeperunt, ut veluti omni materia privatæ atque vacuæ in formarum naturam quodammodo abierint, sed de hisce verbis ne aut ea afferam, quæ satis trita sint, aut ea, quæ ad hanc quæstionem minus pertinere videantur, hoc monere satis

*) Sola Fennorum lingua ab ista consuetudine quadam ex parte recedere videtur. Qua de re infra videbimus.

erit, quod cum natura casuum cohæret, ad quam istæ compositæ esse videntur.

§ 38.

Cum igitur omnis casus duo habeat necesse sit et tenoris et loci significationes, cumque alias illa tenoris, alias hæc loci significatio magis promineat, eodem modo præpositionum, quæ utramque significationem continent, aliæ tenorem, aliæ locum magis indicare videntur. Sed cum multæ linguæ, neglecta illa obliquorum casuum arte, ad relationes substantivorum indicandas sola utantur præpositionum opera, cumque hæ ipsæ præpositiones eandem illam habeant loci tenorisque significationem, quam in illis linguis, quæ casibus obliquis utuntur, terminationibus quibusdam verborum exprimi constat; si utrumque linguarum genus inter se contendere atque comparare voluerimus, apparebit, non ea sola re differre, quod alterum ista relationum signa substantivis suffigat, alterum seorsim collocata aut præponat substantivis aut postponat; sed alterum alteri hac re præstare, quod vagam istam relationum multitudi-

nem ad genera revocare voluerit, arteque concludere, cuius nulla in altero linguarum genere suspicio inesse videatur.

§ 59.

Si autem vera sunt ea, quæ de universa relationum natura modo proposui, ut vera esse arbitror, illud probare non possum, quod dici video, alios casus tenoris esse, alios non tenoris, sed loci, aut eorundem casuum duplicem esse usum, ut iam tenorem iam locum indicent*). Cum enim ea ipsa sit universæ relationis natura, ut locus absque tenore indicari non possit, cumque omnis casus utrumque, et locum et tenorem, contineat necesse sit, equidem horum alterum altero magis interdum quasi exstare atque prominere fateor. Sed hoc discrimen in ipsa materia inest relationis, non in forma, de qua sola hoc loco quærimus. Cum autem ipsius materiæ diversitates sæpenumero propriis formis expres-

*) Beckerus: *Organisme der Sprache*, § 69, p. 187, et alibi.

sas videamus, cuius rei non pauca exempla infra afferentur, nusquam tamen hoc loci tenorisque discrimen ita videmus suis quibusdam formis effectum, ut ullam linguam illud agnovisse atque retinere voluisse pateat. Itaque hoc ego discrimen, tamquam abhorrens ab ipso sermonis ingenio, totum reiiciendum esse arbitror.

§ 40.

Quod autem nonnulli casus ita dividunt, ut alios motus, alios quietis esse dicant*), id mihi eiusmodi plane generis esse videtur, quod non afferat ipsius sermonis natura, sed doctorum hominum mirificum dividendi discerpndique studium. Si enim in omni relatione tenor quidam adesse debet, ubi tenor sit, ibi motum esse necesse est; quod cum plerumque eluceat, sed interdum tamen propter ipsam verborum materiam, quibus relatio contineatur, minus appareat; certe si quid erit discriminis, id totum in materia erit, non in

*) Beckerus: *Organisme der Sprache* § 68, p. 185.

forma. Quod si eius quoque propria forma effingenda esset, ferri quidem etiam illud potuisset, sed nullum mihi usquam fateor visum esse vestigium, neque illi, qui hoc maxime contendunt, quidquam afferunt, unde appareat, aut priscos illos sermonis auctores, aut ullam deinceps ætatem hominum hoc discrimen tanti fecisse, ut utriusque, et motus et quietis suos casus formare voluissent. Itaque cum utramque materiam iisdem casibus contineri videamus, partitionem istam argutiis grammaticorum relinquendam esse putamus.

Et quoniam illud iam suscepi, ut a doctorum hominum commentis naturam casuum liberem atque purgem, si possim, refutandum mihi illud quoque est, quod nonnulli alios casus personæ, alios rei esse statuunt.*) Qua in re, cum eiusdem sit generis atque ea, de quibus iam locuti sumus, breves esse possumus, ac potius quoniam illi verbo ita esse aiunt, mihi verbo satis est negare.

*) Beckerus: *Organisme der Sprache*, § 68, p. 186, et alibi.

§ 41.

Cum autem ista trium casuum numerus, citra quem iustam atque plenam casuum artem consistere posse negavimus, eiusmodi sit, ad quem omnes relationes referri possint, et cum quæcumque relationes eodem tenoris genere contineantur, eas ad eundem casum pertinere pateat; neminem postulaturum arbitror, ut singula persequar, doceamque, quæ cuiusque tenoris atque casus sint relationes. Pertinet enim hæc tota res ad eas quæstiones, quæ de singularum linguarum rationibus instituuntur. Et cum omnium verborum atque adeo omnium relationum eandem esse naturam monuerimus, usum duplicem, alterum proprium, translatum alterum; in iis quidem relationibus, quæ propriis utuntur verbis, in quibus sensus ille localis satis appareat, minus quiddam negotium esse patet, multoque plus negotii oboritur in iis verbis, quorum translatus usus solus remanserit; in quibus priscae illa notionis vis, qua sustineantur, summo interdum labore eruenda sit, si fieri ullo modo possit. Deinde hæc

quoque in hac re inest summa difficultas, quod, cum in imaginibus quibusdam omnis hæc relationum ratio posita sit, ad easdem res exprimendas aliæ aliis imaginibus sæpe utuntur linguæ, ut nobis e longinquo intuentibus, in tanta imaginum permistione sæpenumero difficillimum sit, quæ cuiusque linguæ ad quamque rem significandam propria sit imago, diiudicare. Quare hocce relationum enucleandarum opus, cum tantæ circumstent difficultates, non nisi sæpius novatum atque iteratum perfici posse, si unquam perfici potuerit, nemo non intelliget; nec quemquam harum rerum peritum atque æquum æstimatorem fore puto, qui contra hancce rationem nostram argumentum inde peti velit, quod in singulis notionibus persequendis atque condendis viros doctos sæpenumero dissentire videat.

§ 42.

Neque ego nunc; quot et quæ linguæ ad istam trium casuum perfectionem pervenerint, conabor quærere, nec in iis linguis, quæ trium casuum esse feruntur,

singula quæque firma atque integra esse servata*) affirmare audebo. Sed cum hæc et vires meas et huiuscæ quæstionis terminos longe superent, satis erit exempli causa unam attulisse Græcorum linguam, in qua hæcce obliquorum casuum ratio vere perfecta atque absoluta esse videatur. Cum autem in multis linguis præter hosce tres necessarios casus plures etiam deprehendantur, de hisce quæram, atque ita quæram, ut cum eorum gignendi causas invenerim, qua et quanta societate cum tribus illis primariis casibus contineantur, demonstrare coner. Atque hæc ultima pars erit nostræ disputationis.

§ 45.

Itaque in lingua latina, ut ab hoc initio proficiscar, quæ præter tres illos Græ-

*) Confusarum imaginum exempla satis illustra habet Germanorum lingua, in qua præpositiones illæ *von* et *aus*, quæ natura sua cum solo gignendi casu coniungi deberent, et in priseo quoque dicendi usu cum hoc casu iungerentur, — v. Beckerum, *Deutsche Grammatik* § 167 not. 2 — iamdudum dativo soli servire coeperunt.

corum casus quartum quendam adscivit, ablativum, soli accusativus atque ablativus sensum illum loci retinuisse videntur; reliqui autem, genitivus atque dativus ab eo quodammodo recessisse. Et cum accusativus, obiecti fortasse necessitate, ea solum relationum genera amplectatur, quibus motus in locum indicatur; ablativus, veluti confusis notionibus duo reliqua relationum, genera continet. Itaque cum non tam ablativi natura, (nam de illa confusione notionum mox videbimus,) quam ipsæ genitivi atque dativi rationes hoc loco explicandæ sint, parum mihi iusta videntur, quæ de utriusque casus natura a doctis viris afferri solent; sive genitivi naturam in substantiæ quadam designatione, dativi autem vim in ea re designanda, in qua effectus cernatur,*) collocatam esse volunt, sive alio

*) Ita Hermannus, qui hæc præ cæteris acute atque subtiliter tractavit, *v. de emand. rat. gr. gram.* pp. 139 et 141. Neque nunc in animo est omnes omnium sententias enumerare, cum præsertim multi in exemplis congerendis, quam in ipsis casuum naturis eruendis elaborare maluerint.

quocumque modo explicandam esse putant, ab isto communi atque necessario casuum fundamento plane recedunt. Sed mihi neque hoc fundamentum relinquendum esse videtur, neque hinc ablativi, illinc genitivi atque dativi naturæ segregandæ. Cum autem relationum duo sint genera, alterum earum rerum, quæ externis possint sensibus percipi, alterum earum, quæ non nisi mente atque cogitatione comprehendi queant, cumque hæc genera, quoniam sola materia differant, non verbis, id quod antea monuimus, segregari, suisque casibus exornari minime debeant, neque tamen non possint, si qui spreta illa rei ipsius natura, dissimilitudinem avidius, quam similitudinem arripuerit, Latinos ego homines hanc diversitatem persecutos esse suspicor. Et cum tamen accusativum ipsa rei natura tueretur, quod istarum relationum ratio maxime una sit, atque sui similis, reliqua relationum genera ita partiti sunt, ut hinc genitivus atque ablativus, illinc dativus atque ablativus sese invicem excipiant, et quasi suppleant. Reliquit igitur et genitivus et dativus Latinorum

quodammodo istud fundamentum loci*); caretque principio suo, et cum neuter per se intelligi possit, uterque ablativi natura atque coniunctione sustinetur. Cum autem ista disiunctio ipsi veritati quodammodo repugnet, non mirum esse debet, si ista parum sibi interdum constare videntur. Itaque et genitivus non uno in loco sed sæpius, maximeque in antiquioris sermonis usu atque in poetico dicendi genere istum loci tenorisque sensum satis luculenter retinet**), manentque ea vestigia veteris rerum ordinis, cum ista nondum dirempta

*) Cuius rei id maxime signum est, quod neuter eorum cum præpositionibus coniungi potest.

**) Ita Horatius: *desine mollium querelarum*, carm. II. 9, 17. *abstineto irarum calidæque rixæ* ib. III. 27, 69; *cum famulis operum solutis* ib. 3 17- extr. *operum vacuus* serm. II. 2, 119. *liber laborum*, de arte poet. 212- Quæ qui a Græcorum exemplis petita esse volunt, nodum mihi non expedire sed dicumpere videntur. De istis autem nominum fere propriorum formis in a et — i desinentibus, (Romæ, Corinthi) quæ ablativum casum non referendæ esse videntur postea videbimus.

essent; et ablativus casus, qui si ista relationum diremtio, quæ in materiæ diversitate posita est, aut perfecta esset, aut perficere potuisset, externis solum sensibus quasi servire deberet, illam tamen alteram translatarum relationum regionem sæpenumero attingit, atque toties fere, quoties relationum materiæ indicantur, quamquam translate adhibentur, tamen propriæ significatio- nis sensum retinent.

De ablativi autem atque dativi com- munionem post ea, quæ de genitivo atque ab- lativo disputavimus, vix opus erit plura addere, cum præsertim summa ista termi- nationum in utroque similitudo satis pro- bare videatur, in antiquiore sermonis usu non formam modo, sed naturam quoque utriusque fuisse unam. *) Quod autem unus casus duorum tenorum permistionem ha- bet, id et hic et alibi —, nam et in Ger- manorum lingua huiusmodi permistionis exempla nuper vidimus, — fieri non po-

*) Struve: *Ueber d. lat. Deklin u. Konjug.* p. 21.
C. L. Schneider: *Latein. Gr.*, vol. II, p. 1, p. 200 sqq.

tuisse arbitror, nisi præpositionum usu atque natura. Præpositiones enim, quas initio quidem ut casibus servirent comparatas esse constat, mox ipsis casibus infestæ esse coeperunt; quæ, cum ipsæ per se istam tenoris locique designationem satis suscipere atque sustinere posse viderentur, facile efficere potuerunt, ut illa tenorum locorumque ars, quæ casibus contineatur, tamquam supervacanea quædam atque inutilis abiiceretur. Atque, ut hoc obiter moneam, cum casuum artem multis in linguis periisse videamus, ex illo fonte præcipuam ego causam cur perierint repetendam esse opinor.

§ 44.

Atque hæc eadem materiæ diversitas, quam ego Latinos persecutos esse arbitror, neque tamen plane perfecisse, etiam Græcorum istam subtilissimam linguam pellexisse videtur. Quid enim aliud spectasse putemus istas terminationes nominum — $\mathcal{D}\epsilon\upsilon$, — $\mathcal{D}\iota$, — $\mathcal{D}\epsilon$ ($\sigma\epsilon$), nisi ut illa diversitas retineretur, et suum cuique relationum ge-

neri efficeretur casuum systema. In iis certe huiusce usus reliquiis, quibus nunc utimur, istæ terminationes, si a paucissimis exemplis recesseris, non nisi iis in locis nominibus suffigi solent, in quibus loci ipsius quædam aut propria aut translata significatio satis eluceat, deinde et pronomi- bus, quæ ipsa loci quandam designationem habere constat et ipsis adverbiiis loci*). Sed hasce argutias Græci mature reliquisse videntur, fortunaque huius linguæ effecit, ut, cum cetera fere perturbata atque contaminata sint, hoc saltem habeamus perfectissimæ rationis exemplum integrum atque purum.

§ 45.

Cum autem hæc eadem materiæ diversitas, quam ego Latinos sectatos esse arbitror, Græcos autem potius reliquisse, quam secutos esse, et alibi et maxi-

*) Cf. quæ de harum terminationum usu egregie collegit Hartungius: *Ueber d. Casus u. s. w.*, pp. 172, 241, 244. Kühnertius *Ausführl. griech. Gram.* §§ 512, 545.

me in sanscritana lingua suis casibus mihi expressa esse videatur, invitus facio, ut de earum linguarum rationibus disseram, quarum nullam per me affero cognitionem. Attamen cum res istiusmodi sit, cuius vel ex grammaticorum libris, si quis iis prudenter atque acute usus fuerit, aliqua tamen cognitio percipi possit, cumque ipsa huiusce quæstionis ratio cogere videatur, non vereor, ne levitatis crimen subeam, si de nonnullarum linguarum in casibus condendis arte solos grammaticorum libros secutus, quædam suspicari ausus fuerim, cum præsertim eiusmodi sint, ut earum linguarum, de quibus antea disputavimus, similitudine atque natura sustineri atque confirmari videantur.

§ 46.

Igitur sanscritana lingua cum eandem illam relationum diremptionem, quam latina, sectari videatur, nescio an illam aliquatenus saltem magis absolverit atque perfecit. Cum enim Latinorum ablativus

duorum tenorum confusionem habeat, sanscritana lingua suam cuique attribuit formam adscivitque novum quendam casum, locativum, cuius hic proprius quidem atque præcipuus usus est, ut loci ipsius, in quo aliquid fiat, designationem habeat.*) Itaque hoc demum casu, quo nunc quidem caret latina lingua**) totum perficitur casuum systema, ut hinc genitivus atque dativus, illinc ablativus atque locativus sese excipiant et quasi suppleant. Ei cum diversæ casuum veluti regiones ex ipsa rei natura atque ratione, nullo certo

*) Wilkinsii: *grammar of the sanscrit language*, p. 631; Boppii: *vergleichende Grammatik*, p. 227 sqq.

**) De huiusce locativi casus in latina quoque lingua vestigiis monuit iam Raskius noster: *Om det gamle nordiske Sprogs Oprindelse*, Kbh. 1818, p. 210; Rosenio autem duce in *præfat. corp. radd. sancritt.*, Berolin. 1826 et Schmitthenner: *Ursprachlehre* p. 264 sq. et aliis formas illas substantivorum, inprimis nominum propriorum, in *a* et *i* desinentes, quibus loci ipsius, in quo aliquid est, designationes fieri solent, reliquias quasdam locativi esse placet. Cf. Hartungium: *Ueber d. Casus u. s. w.* p. 178.

limite definiantur, quin sese invicem multifariam attingant, in propriis tamen relationibus exprimendis locativi atque ablativi, in translatis genitivi atque dativi præcipuis usus esse videtur.*) De alio quodam linguæ sanscritanæ casu instrumentali mox videbimus.

§ 47.

In Fennorum lingua huiusce quidem distinctionis nullum vestigium apparere videtur, quamvis illam aliis modis ipsi materiæ diversitati nimiam operam dedisse pateat. Cum autem ipsam illam tenorum locorumque rationem novo quodam atque plane singulari modo exornaverit, de hoc primum videbimus, deinde cætera persequemur. Igitur cum aliarum relationum interna quædam, aliarum externa ratio cogitari possit, cumque cæteræ linguæ hanc relationum diversitatem mere formalem, quoties retinere velint, non

*) Cf. quæ de casuum usu collegit Wilkinsius l. c. pp. 620—44.

novis casibus, sed præpositionum ope retinere soleant; in sola Fennorum lingua hæc relationum diversitas suis casibus expressa est.*) Ita sex omnino exstiterunt casus locales: primum ablativus atque elativus,*) — *kylälla*, ab oppido; *kylästa*, ex

*) In secunda grammaticæ meæ græcæ editione, Hauniæ 1830, cum huiusce fennicæ linguae relationis plane ignarus essem, induxit me nescio quid in eum errorem, ut hanc internæ externæque rationis distinctionem in Græcorum quoque casibus quodam modo expressam esse putarem. Qua in re quantum a vero aberraverim, qui ea linguae græcæ obtrudere conatus sim, de quibus illa nihil omnino cogitasse videtur, vel ex his ipsis, quæ hucusque disputavimus, neminem latere arbitror. Ipse autem in tertia editione libri — Hauniæ 1834 — suum Græcis systema integrum restituere conatus sum. Quantum profecerim, alii iudicent.

***) Usus sum iis casuum nominibus, quæ Raskius ille noster et alibi et in grammatica sua lapponica — Hauniæ 1832 — p. 34, proposuit, et quod ea ad rem ipsam significandam maxime mihi propria esse videntur, et quod Fennos ipsos, eiectionis veterum grammaticorum ineptiis, hæcce casuum

oppido —; deinde adessivus atque inessivus — *kylælä*, in vicinio oppidi; *kylæsa* in medio oppido —; denique allativus atque illativus — *kylælle*, ad oppidum, *kyllæhon* in oppidum. Referuntur autem ad hosce casus primum omnes priorum verborum relationes, deinde, illorum vi atque exemplo, translatorum quoque verborum relationes plurimæ, quamquam ita tamen, ut multæ utriusque generis relationes, nullo certo limite constituto, aliis et suis utantur casibus, de quibus, cum et ipsi materiæ diversitatem sectentur, mox agemus.

Sed si hanc Fennorum in tenoribus locisque describendis quasi luxuriam cum ista Græcorum continentia comparare veli-

nomina recepisse constat; — vid. Renvallium in præfatione lexicæ fennicæ p. 12. Quod autem Raskius l. c. hosce Fennorum casus quodammodo de casuum numero eximendos esse arbitratur, et proprios casus esse negat, id, pace divinæ memoriæ tanti viri dixerim, vereor ne ipsi naturæ casuum plane repugnet. Exempla vero singulis casibus subiecta sumsi ex libro Sjögrenii: *die finnische Sprache u. Litteratur. Petersburg 1821*, p. 21 sqq.

mus, ambiguo quodam commodo uti videtur fennica lingua, multoque sapientius Græcos fecisse arbitror, qui, cum ista externarum internarumque relationum ratio, si quando retinenda esset, alio quodam modo, per præpositiones, retineri posset, hoc tantum oneris sibi imponi noluerint, ut quoties aliqua relatio enuntianda esset, toties ad istam rationis subtilitatem esset revocanda. Quod cum Fenni non providissent, cumque suis se acuminibus pungi sentirent, huic quidem incommodo novis quibusdam incommodis mederi voluisse videntur, et illis sex casibus localibus, ipsius materiæ diversitate usi, novos quosdam addunt casus, eos quidem ipsos, de quibus nos postea locuturos esse diximus; ut tantus in hac lingua efficiatur casuum numerus, quantus in nulla alia existisse videatur.

§ 48.

Sed relinquamus hoc, quod etiamsi exempli plane singularis est, tamen ad id, quod quærimus nihil magnopere conferre

videtur. Cum autem alio quoque modo intelligentia materiæ diversitatem sectata esse videatur, neque iis solis casibus, quos hucusque artibus inclusos vidimus; hunc quoque persequemur, si cognoscere poterimus. Atque ut ab exemplo ordiamur, quoniam ea, quæ sentimus, ita apertiora fore arbitramur, in sanscritana lingua præter quatuor istos obliquos casus, de quibus iam locuti simus, occurrit quintus quidam instrumentalis, cuius illum præcipuum ferunt esse usum, ut quo quid efficiatur, designet, sive re, sive persona, cum tamen ad illud quoque significandum adhibeatur, cui quid simile sit atque consentaneum, vel quocum conspiret atque consentiat. *) Attingit igitur hic casus et alios casus et maxime dativum, neque ratione solum, verum etiam forma, cuius quidem tanta est inter dativum atque instrumentalem societas, ut Boppius instrumentalem a dativo prima origine nihil differre putet. **)

*) v. Wilkinsium, *sanscrit. gram.* p. 625, qui hunc casum minus proprie impletivum appellat. Boppius: *vergleichende Grammatik* p. 190.

**) Boppius: *vergleichende Grammatik*, p. 192.

Quare si primum istum instrumentalis præcipuum usum, deinde hanc terminationis cum dativo similitudinem tenemus, huius mihi casus hæc ratio esse videtur, ut ex illo relationum, materiis diversarum, ambitu, quem tenoris sui communionem dativus concludat, una quædam relationum species, non tenoris quandam sed solius materiæ diversitatem secuta, quasi avulsa sit, et sua quadam forma consignata. Reliquit igitur hic quoque casus istud fundamenti spatium, illumque tenorem locorumque rationem, eodem modo, quo in latina atque sanscritana lingua genitivus atque dativus; sed ita tamen, ut cum illorum uterque genus quoddam relationum amplectatur, instrumentalis ex unius cuiusdam relationis designatione profecta esse videatur. Nam quod instrumentalis præter illam instrumenti designationem aliarum quoque materiarum relationes adscivit, id mihi suo iure facere videtur, cum, ex quo casus factus sit, eadem illa natura utatur necesse sit, qua cæteri casus, ut quidquid eadem similitudine continetur, id suscipere atque retinere possit. Itaque huiusce casus terminos, sic uti cæterorum, qui ex

materiæ diversitate quadam proficiscuntur, vagari, parumque sibi constare necesse est.

§ 49.

Cum autem materiæ diversitates innummeræ sint, cumque hoc exemplo quidquid materiæ similitudine continetur, id suo casu consignari queat, atque adeo casuum numerus infinitus esse possit; parce tamen ista licentia linguas uti videmus. Fieri autem istud puto non aliam magis ob causam, quam quod ipsa mentis cogitationisque vis atque natura id semper agit, ut ex minutis angustisque gyris in latiores analogiarum quasi campos deducat notiones suas. Itaque primo quoque tempore sensus quidam obscurior, deinde ipsa mentis conscientia sui præstantissimas quasque linguas —, sunt autem eæ linguæ præstantissimæ, quæ hominum sunt ingeniis præstantissimorum —, ne nimia quasi luxuria formarum sese effundant atque effluent, retinere atque revocare videtur. Quare in istis quidem linguis, quæ communi nomine

indo-germanicæ appellari solent, horum quidem casuum, quos mihi angustiorum analogiarum casus non improprie appellare posse videor, præter istum instrumentalem nullus omnino exstitisse videtur; atque ille ipse, cum in sanscritana lingua integer servatus sit*), in aliis eiusdem familiæ linguis mature periisse videtur**), et si qui forte alii huiusce generis casus olim exstiterint***), hos quoque, ut instrumentalem, mature relictos esse patet. Sed huiusce rei ratio, quæ tota est in terminationibus nominum excutiendis atque con-

*) In litthuanensi quoque lingua remansisse constat, vide Boppium *vergleichende Grammatik*, p. 193, qui et ibi instrumentalem a dativo origine sua nihil differre opinatur.

***) De vestigiis instrumentalis casus in lingua græc. atque latina obviis vide Hartungium in libro sæpius laudato pp. 88, 230, 236. De instrumentali veterum germanicæ linguæ dialectorum v. Grimmium *deutsche Grammatik* 1; 815.

****) Vide Hartungium: *Ueber die Casus*, pp. 223, 236. Boppium *vergleichende Grammatik*, p. 215 § 183.

tendendis, nobis hoc loco intacta relinquenda est. Cum autem illud mirum videri possit, quid sit, cur hæc ipsa instrumenti relatio a cæteris avulsa, in tot linguis suo casu consignari voluerit, nescio, an ex sanscritana grammatica ad reliquas linguas hocce nomen minus proprie tractum sit, et qui ibi instrumentalis et esset et appellaretur hanc in reliquis linguis aut modalem, aut localem aut alio quopiam nomine appellari oporteret

§. 50.

Aliquanto magis luxuriantur aliæ linguæ, maximeque omnium fennica lingua, in qua præter sex illos locales casus, de quibus supra locuti sumus, occurrit et possessivus casus, et partitivus, et defectivus sive caritivus*). Et cum proprius atque præcipuus horum casuum usus ipsis nominibus eorum satis indicari videatur, ut

*) Cfr. præter autores supra laudatos Hildenii et Laurentii animadverss. de declin, fenn. Aboæ 1797.

nihil opus sit exempla afferre; idem tamen his quoque casibus accidere videmus, quod instrumentali illi sanscritanæ linguæ accidit, ut in singulis relationum materiis minime consistant, et, similitudine quadam rerum adducti, multa adsciscant, ita ut et hi casus multifariam ad ea designanda adhibeantur, quæ natura sua ad istos locales casus pertinere videntur; et isti rursus hasce possessionis et partitionis et defectus ideas ad locorum tenorumque sensum revocatas, per sese designent; nec ullo certo limite duo ista casuum genera discerni possint. *)

§ 51.

Ab his longe diversi, naturæque plane singularis duo casus esse videntur, quos in eadem hacce Fennorum lingua novo exemplo fictos reperimus, qualitativus sive nuncupativus, ita enim Raskio, v. cl. ap-

*) Vide quos laudavi autores, et quos locos, imprimis Sjögrenium: *über die finnische Sprache u. s. w.*, pag. 23.

pellari placuit,*) et qualificativus, quem idem factivum nominari mavult. Est autem qualitivi sive nuncupativi ea vis, ut ad istud significandum adhibeatur, quod quæpiam sive persona sive res aut sit, aut esse dicatur, ut in his: *hän on pappina*, est sacrorum minister; qualificativi autem sive factivi usus is, ut quid quæpiam sive persona sive res fiat, designet, ut in his: *hän tehtiin papiksi*, factus est sacrorum minister. Itaque hi casus, quantum a cæteris substantivorum attributivis sive obliquis casibus, de quibus hucusque locuti sumus, natura sua differant, satis apparet. Cum enim obliquorum casuum hoc universum consilium esse viderimus, ut eas notiones indicent, quæ definitionis sive descriptionis causa ad aliam quamlibet notionem accedere videantur, atque ita quidem, ut hæc ad eas quasi pertineat, atque earum ambitum quodammodo attingat; cumque universa illa ratio, quæ inter substantiva attributiva atque ea verba, quæ attributivis definienda sint, intercedat, in dependentia quadam posita sit; si quæpiam notio non ad alteram pertinere, neque

*) v. *lappisk Sproglære*, pag. 35.

attingere alteram, sed ita quasi æquiparare dicitur, ut non dependeat ab altera, sed cum illa congruat, ut in his: *Cicero est consul, fecerunt Ciceronem consulem*, in quibus non dependentiæ ratio est, sed quasi congruentiæ, huiusce quidem rei significatio ad obliquorum casuum rationem proprie pertinere non videtur. Atque hoc quidem relationis genus cæteræ linguæ cum non necesse putarint suis quibusdam casibus exornare, ita exprimere solent, ut, iterato substantivi casu, notionum congruentiam congruentia formarum designent; ex quo novus quidam oritur attributorum usus appositivus, neque tamen horum solum, verum etiam nominativi ipsius, de quo antea meminiturum esse dixi. Itaque cum huic relationis appositivæ generi sola Fennorum lingua suas formas fingere voluerit, hi casus, cum naturam habeant plane singularem, de cæterorum casuum numero mihi eximendi esse videntur, ut suo quasi loco collocandi. Quod autem a Sjögrenio*) addi

*) Sjögrenius: *über finn. Sprache u. Litt* Petersburg 1821, p. 23 sqq.

video, qualitivum casum ita adhiberi, ut incerti cuiusdam temporis significationem habeat, qualificativum vero ita, ut perpetuitatem quadam designet, id, cum non in ipsa casuum natura inesse videatur, sed aliunde adsectum esse, non afferrem, nisi inde apparere putarem, ne his quidem casibus in singulis sepositisque significationibus consistere licuisse.

§ 52.

Sed cum hæc nostra disputatio in obliquorum casuum natura atque ratione excutienda iamdiu retineatur, cogimur in ipso fine disputationis ad nominativi casum reverti, quoniam is quoque interdum, quamquam perraro quiddam pati videtur, quod ad naturam suam minime pertineat. Qua in re, cum eiusmodi sit, quæ præteriri nequeat, breves esse possumus, quod et perspicuum est, nec ad totius rei intelligentiam multum conferre videtur. Igitur in Vascorum lingua duasprehendimus nominativi formas, alteram personæ agentis sive subiecti verborum activorum, al-

teram personæ non agentis, sive subiecti verborum neutrorum atque passivorum*). Simillimaque ratio linguæ Grönländicæ esse videtur, in qua itidem duas nominativi formas, alteram transitivam, alteram intransitivam existisse videmus**). Quæ in re quæ consilium fuerit istarum linguarum quantaque prudentia, cum tamen illa distinctio interdum speciosior sit, quam verior, nec unquam necessaria, ipsæ viderint; nobis post ea, quæ de eiusmodi distinctionum genere supra monuimus, plura hoc loco quærere nihil opus erit. Illud monuisse satis erit, hanc distinctionem ab ipsa nominativi natura plane alienam esse. Sed illuc revertamur.

§ 55.

Igitur cum obliquorum casuum duo genera esse videantur, alterum eorum, quod ad locorum tenorumque rationem relationes re-

*) Humboldt in *Mithridate Vateri* vol. IV. p. 317.

***) Fabricii: *grönländske Grammatik* p. 80.

vocare alterum eorum, qui ipsas relationum materias respicere atque in earum diversitatibus consistere voluerint, cumque nobis eius rationis, quam secutum sit illud genus casuum, quod priori loco posuimus, naturam artemque perspexisse atque delineasse videamur; si de huiusce posterioris generis universa arte quæritur, quæ sit, et ex quonam fonte derivanda, non dubitamus, quin huius quoque generis artem ex eodem fonte derivari oporteat, ita ut non tam duo diversa existant casuum genera, quam unius generis duæ diversæ partes, altera pura, in qua ille loci tenorisque sensus integer remanserit, altera impura atque eiusmodi, in qua ille sensus obscuratus sit et quasi obrutus. Et cum hoc ex ipsa rei natura pateat, quod nulla verborum relatio effici posse videtur, nisi quæ spatii fundamento superstructa, tum hac re egregie confirmatur, quod utramque casuum speciem primum tanta terminationum similitudine contineri*), deinde ipse

*) De dativis atque ablativis Latinorum iam supra monuimus. In sanscritana lingua constat in d u

usu ita confundi vidimus*), ut alteram ab altera non natura sua descendere, sed arbitrio quodam avulsam esse appareat. Et cum natura sua illa pura casuum species tempore prior sit, hæc autem, impura, posterior; cum illa numero certa sit, hæc incerta; cum illa ratione stabilis sit, hæc pendens, illud ipsi rei naturæ plane consentaneum fieri videtur, ut ab illa profectus sermo, posteaquam consiliis a re ipsa alienis veluti in avia deductus alteram casuum speciem adsciverit, deinde

quidem numero et dativum et ablativum et locativum iisdem uti terminationibus; iisdem genitivum atque locativum; in plurali autem numero dativum atque ablativum formis plane congruere; vid. Boppium et alibi et *vergleichende Grammatik* pp. 248 sqq. Denique in Lithuanorum sermone dativus, ablativus atque locativus sive instrumentalis, — nam hic casus aliter ab aliis appellatur—, non nisi levissima sonorum inflexione discernuntur, v. Raskium: *om det gamle nordiske Sprogs Oprindelse* p. 208; cfr. Boppium *vergleichende Grammatik* p. 193, qui instrumentalem a dativo origine sua nihil differre opinatur.

*) vide quæ antea passim monuimus.

ad maiorem maturitatem consiliorumque suorum conscientiam provectus, vel re tamen ipsa atque experientia edoctus, quanto plus oneris atque impedimenti, quam adiumenti atque subsidii in ipsa formarum abundantia insit, hanc respuere atque reiicere conetur. Sed cum hic totius rei quasi tria stadia esse statuamus, hæc stadia magis re ipsa, quam ulla temporis diuturnitate discernenda esse putamus.

§ 54.

Cum autem quæ de duplici casuum specie, altera pura, altera impura, statuenda esse putavimus, egregie confirmari videantur iis, quæ et alibi in adornandis formis fieri videmus, non alienum fore arbitror a re nostra, si de his quoque pauca monuero. Atque ut a numeris verborum ordiar, qui universam quantitatis secretionem indicant, eam rationem, quæ pluralem numerum a singulari discernit, mere formalem esse constat. Et cum singularis numerus natura sit finitus, pluralis autem infinitus, quotiescunque hic

accuratius definiendus est, non novis formarum generibus, sed verbis quibusdam certos numeros proprie significantibus, definiri solet. Itaque si cum hoc plurali numero dualem illum contendere voluerimus, quem et græca lingua et aliæ plurimæ elaborarunt paucissimæ tamen linguæ ad omnes sermonis aut partes aut ætates penetrare passæ sunt, apparebit, dualem, cum ipsius quantitatis definitionem quandam habeat, quiddam suscepisse, quod ad numeri naturam minime pertineat, ut, si pluralis numerus purus est, dualis certe impurus et sit et dici possit. Similisque mihi videtur esse ratio, cum in Arabum lingua*), quæ et ipsa duali numero utitur, reliquus pluralis numerus ita dividatur, ut alius, quasi angustior quidam, a tribus usque ad novem numeros complectatur, alius reliquos deinceps omnes contineat; aut in Abiponum**) lingua, quamquam minus accurate, pluralis ita distinguatur, ut alius paucitatem quam-

*) vide Ewaldii *gramm. Arab. Lips. 1831.* vol. I. § 299 sqq.

***) vide, Humboldtium *über den Dualis*, p. 16 sq.

dam, alius maiorem quendam numerum designet. Quæ paucitatis atque non paucitatis significatio cum ab ipsa numeri ratione plane aliena sit, ut ille dualis numerus, ita hi plurales impuri appellandi esse videntur.

Simillima temporum est ratio; quæ, cum universi temporis descriptionem mere formalem habere debeant, interdum tamen non sua natura, sed alienis rationibus ita quasi colorantur, ut duplex temporum genus nasci videatur, purum alterum, alterum impurum. Itaque cum præteritorum ea universa sit natura, ut præsentis temporis antecedant, futurorum autem, ut succedant, nec quanto temporis spatio ab isto præsentis tempore, tanquam a capite suo, distent respiciatur, quotiescunque autem illud accuratius definiri oporteat, toties non novis temporum formis, sed aliis quibusdam verbis adscitis exprimi soleat; nonnullas tamen linguas huiusmodi quoque temporis definitionibus sua tempora adornasse videmus. Cuius rei ut exempla offeram, cum in compluribus Americanis linguis præteriti temporis descriptio ita divisa sit, ut alia forma illud tempus significetur, quod parvo quo-

dam intervallo a præsentī tempore distet, alia forma illud, quod remotius est,*) una illarum linguarum eo processisse fertur,**) ut quatuor præteriti temporis formas finxerit, prout aut diei dierumve, aut septimanarum, aut mensium, aut denique maiori temporis intervallo præteritum tempus a præsentī distare videatur. Eademque lingua futurum quoque tempus ita dividiet, ut alia forma propius, alia remotius tempus significet. Cum autem hæc tempora, horumque similia ex ipsa tamen temporis descriptione proficiscantur; in aliis interdum linguis tempora alias notiones, et ab ipsa temporis significatione alienissimas, et inter se maxime diversas suscipere videmus. Itaque in lingua quadam Americana duplex præteritorum temporum genus esse fertur, ut altero ea designentur, quæ quis ipse viderit, altero ea, quæ quis, cum in rem præsentem non venerit, ab aliis acceperit.***) Et in Slâvicis linguis ipsas quidem continuationes atque

*) Mithrid. 3. 2. 502. 511.

***) Mithrid. 3. 2. 65.

****) Mithrid. 3. 2. 434.

iterationis notiones in præteritis temporibus suis formis effingi videmus;*) atque has easdem notiones ne in græci quidem sermonis veteri dicendi usu propriis caruisse formis satis constat.**)

Denique in modis verborum, cum universa modorum ratio amplior sit, quam quæ hoc loco paucis explicari atque definiri possit, si ex ipsa indicativi atque coniunctivi sive subiunctivi contentione ordiri volumus; coniunctivi quidem hæc ratio esse videtur, ut quidquid coniuncte sive potius subiuncte efferatur, atque ita, ut ex alia quapiam sive expressa sive non expressa sententia pendeat, id coniunctivo modo utatur; indicativi autem ratio hæc, ut ad eas sententias exprimendas adhibeatur, quæ veluti per se stare, neque aliunde pendere videantur. Et cum hoc discrimen mere formale sit, neque ullam materiarum diversitatem respiciat, cumque ipsius dependentiæ diversitates non novis quibusdam modis, sed propriis quibusdam verbis, sive coniunctionibus quibus-

*) Dobrowsky: *Institutt. ling. Släv.* p. 386 sq.

***) Buttman: *griech. Sprachlehre*, 1. 391.

dam designari soleat, sapientissime quidem linguæ ultra illum duorum modorum numerum non processisse videntur, nisi quod græca lingua, subiectivitatis quandam atque obiectivitatis distinctionem secuta, quæ ipsa formalis est, suum cuique dependentiæ generi modum tribuere voluit. Quare cum præter illos modos mere formales atque puros in aliis quibusdam linguis aliæ quoque verborum formæ modi haberi et appellari soleant, ut in Vascorum lingua,*) in qua et consuetudinarium quendam modum esse volunt, et potentialem, et voluntarium, et necessarium, et poenitudinarium, hi mihi cæterique, qui eorum similis sunt, — quoniam alibi et prohibitivus quidam modus, et dubitativus, et reprehensivus,**) et interrogativus et permissivus***) — cum ea exprimenda susceperint, quæ ad ipsam modorum naturam minime pertineant, istiusmodi esse videntur, ut aut de numero modorum omnino eximendi sint, aut, si

*) Mithrid. 2. 19. sq.

***) Mithrid. 3. 2. 529.

***) Fabricii: *gröndlandske Gram.*, p. 154.

tamen, externis quibusdam terminationum analogiis sustentati, ad modorum numerum referri debeant, istorum generum quasi impuræ quædam species sint putandi. Sed hæc exempli causa degito, ut aiunt, monstrasse satis erit.

CORRIGENDA.

- — — — —
- Pag. 14. l. 17. leg. notio.
 — — l. 18. l. in adiectivis ipsa facultatis.
 — 28. l. 25. l. familiæ.
 — 47. l. 24. l. plurimam.
-

